# ORDO SERVANDUS
## IN PROCESSIONIBUS
## FACIENDIS
*IN DIEBUS*
# S. MARCI
## EVANGELISTÆ,
*ET*
## ROGATIONUM.




ROMÆ MDCCCXX.

Ex Typographia Rev. Cam. Apost.

*IN DIE*

# S. MARCI
## EVANGELISTÆ.

Discedet Clerus ab Ecclesia S. Marci, iturus ad Basilicam Patriarchalem Apostolorum Principis S. Petri in Vaticano, cantando Litanias, quæ habentur infra, et ubi semel absolutæ fuerint, toties a capite repetantur, quousque perventum sit, quo perveniendum est.

*Et cum perventum fuerit ad Pontem S. Angeli, dicatur per Cantores.*

*Antiph.* Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, et Potestates, Virtutes cœlorum laudate Dominum de cœlis, Alleluja. Alleluja.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Alleluja.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, Alleluja.

*Episcopus stans sine Mitra, dicit:*

### OREMUS.

DEUS, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas: concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Deinde reassumantur Litaniæ , ut infra , et procedatur usque ad Basilicam præfatam Sancti Petri .*

# LITANIÆ.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
riste exaudi nos.
ter de cœlis Deus, miserere nobis.
li Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
iritus sancte Deus, miserere nobis.
ncta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
ncta Maria, ora pro nobis.
ncta Dei genitrix, ora
ncta Virgo Virginum, ora
ncte Michael, ora
ncte Gabriel, ora
ncte Raphael, ora
mnes sancti Angeli, et Archangeli, orate pro nobis.
mnes sancti beatorum Spirituum ordines, orate pro nobis.
ncte Joannes Baptista, ora
ncte Joseph, ora

Omnes sancti Patriarchæ, et Prophetæ, orate
Sancte Petre, ora
Sancte Paule, ora
Sancte Andrea, ora
Sancte Jacobe, ora
Sancte Joannes, ora
Sancte Thoma, ora
Sancte Jacobe, ora
Sancte Philippe, ora
Sancte Bartholomæe, ora
Sancte Matthæe, ora
Sancte Simon, ora
Sancte Thaddæe, ora
Sancte Mathia, ora
Sancte Barnaba, ora
Sancte Luca, ora
Sancte Marce, ora
Omnes sancti Apostoli, et Evangelistæ, orate
Omnes sancti Discipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes sancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora
Sancte Laurenti, ora

San-

Sancte Vincenti, ora
SS. Fabiane, et Sebastiane, orate pro nobis.
SS. Joannes, et Paule, orate
SS. Cosma, et Damiane, orate
SS. Gervasi, et Protasi, orate
Omnes sancti Martyres, orate
Sancte Silvester, ora
Sancte Gregori, ora
Sancte Ambrosi, ora
Sancte Augustine, ora
Sancte Hieronyme, ora
Sancte Martine, ora
Sancte Nicolae, ora
Omnes sancti Pontifices, et Confessores, orate
Omnes SS. Doctores, orate
Sancte Antoni, ora
Sancte Benedicte, ora
Sancte Bernarde, ora
Sancte Dominice, ora
Sancte Francisce, ora
Omnes sancti Sacerdotes, et Levitæ, orate
Omnes Sancti Monachi, et Eremitæ, orate
Sancta Maria Magdalena, ora
Sancta Agatha, ora
Sancta Lucia, ora
Sancta Agnes, ora
Sancta Cæcilia, ora
Sancta Catharina, ora
Sancta Anastasia, ora
Omnes sanctæ Virgines, et Viduæ, orate pro nobis.
Omnes Sancti, et Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera
Ab ira tua, libera
A flagello terræmotus, libera
A peste, fame, et bello, libera
A subitanea, et improvisa morte, libera
Ab insidiis diaboli, libera
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate, libera
A spiritu fornicationis, libera
A fulgure, et tempestate, libera nos Domine.
A morte perpetua, libera
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera
Per Adventum tuum, libera
Per Nativitatem tuam, libera
Per Baptismum, et sanctum jejunium tuum, libera
Per Crucem, et Passionem tuam, libera

Per mortem, et sepulturam tuam. libera
Per sanctam Resurrectionem tuam, libera
Per admirabilem Ascensionem tuam, libera
Per adventum Spiritus Sancti Paraclíti, libera
In die Judicii,, libera
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rog.
Ut nobis indulgeas, te rog
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, et conservare digneris, te rog.
Ut Domnuin Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta Religione conservare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rog.
Ut Turcharum, et Hæreticorum conatus reprimere, et ad nihilum redigere digneris, te rog.
Ut Regibus, et Principibus christianis pacem, et veram concordiam donare digneris, te rog
Ut cuncto populo christiano pacem, et unitatem largiri digneris, te rog.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, et conservare digneris, te rog.
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rog.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rog.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, te rogamus, audi nos.
Ut fructus terræ dare, et conservare digneris, te rog.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rog.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Dñe.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Dñe.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Chri-

Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Pater noster etc. *Secreto*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

*Ante Altare SS. Sacramenti in eadem Basilica post ultimum* Kyrie eleison *Litaniarum, Episcopus genuflexus, sine Mitra dicit.*

Pater noster etc. *Secreto.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

*Tum duo Cantores intonant Psalm. 69.*

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.
Confundantur, et revereantur: qui quærunt animam meam.
Avertantur retrorsum, et erubescant: qui volunt mihi mala.
Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge, Euge.
Exultent, et lætentur in te omnes, qui quærunt te: et dicant semper: Magnificetur Dñus, qui diligunt salutare tuum.
Ego vero egenus, et pauper sum: Deus adjuva me.
Adjutor meus, et liberator meus es tu: Domine ne moreris.
Gloria Patri, et Filio etc.

*Episcopus adhuc genuflexus dicit Preces hujusmodi.*

℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis,
℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

 ℣ Ore-

℣. Oremus pro Pontifice nostro PIO,

℟. Dominus conservet Eum, et vivificet Eum, et beatum faciat Eum in terra, et non tradat Eum in animam inimicorum Ejus.

℣. Fiat pax in virtute tua,

℟. Et abundantia diligentibus te.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.

℣. Oremus pro Fidelibus defunctis,

℟. Requiem æternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace,

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus,

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto,

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum, ℟. Et cum spiritu tuo.

*Mox surgit Episcopus, et adhuc stans sine mitra dicit:*

## OREMUS.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis, et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

DEus, cui proprium est misereri semper, et parcere, suscipe deprecationem nostram; ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Exau-

EXaudi quæsumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, et pacem.

INeffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende; ut simul nos, et a peccatis omnibus exuas, et a pænis, quas pro his meremur, eripias.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici Nostro PIO, et dirige Eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

DEus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

URe igne Sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

FIdelium Deus omnium Conditor, et Redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul, et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide, et opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque,

el præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam xutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis uis, pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Deinde Episcopus intonat Hymnum* Te Deum laudamus, *et facta genuflexione accipit Mitram, et interim Cantores prosequuntur dictum Hymnum, et Processio dirigitur ad Altare Sacræ Confessionis SS. Apost. Petri, et Pauli, ante quod Episcopus deposita Mitra, et facta reverentia, stans, expectat finem dicti Hymni.*

*Mox Cantores intonant.*

*Antiph.* Petrus Apostolus, et Paulus Doctor Gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine. Alleluja.

℣. Constitues eos Principes super omnem terram, Alleluja.

℟. Memores erunt nominis tui Domine, Alleluja.

*Tum Episcopus adhuc stans dicit.*

OREMUS.

DEus, cujus dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, et Coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius, et concede; ut amborum meritis æternitatis gloriam consequamur. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Postea Cantores dicunt.*

℣. Exaudiat nos omnipotens, et misericors Dominus.

℟. Et custodiat nos semper. Amen.

*Præ-*

*Præterea Episcopus accepta Mitra ascendit ad Altare, et non se vertens benedicit Populum dicens.*

℣. Sit nomen Domini benedictum,
℞. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℞. Qui fecit cœlum, et terram.

Benedicat vos etc. *Quibus expletis, Episcopus facta reverentia Altari, confert se ad Sacristiam, et ibi deponit vestimenta Pontificalia, et reassumit vestimenta sua.*

# IN PRIMA DIE ROGATIONUM,

Videlicet Feria Secunda ante Ascensionem Domini.

*Clerus discedet ab Ecclesia S. Adriani in Foro Bovario, ad Basilicam Patriarchalem S. Mariæ Majoris de Urbe processionaliter iturus, cantando easdem Litanias, quæ superius habentur, et ubi semel absolutæ fuerint, toties a capite repetantur, prout in die S. Marci, usquequo perventum sit ad Ecclesiam S. Mariæ in Montibus, in qua ante Altare majus dicatur per Cantores.*

℣. Gaude, et lætare Virgo Maria, Alleluja,
℞. Quia surrexit Dominus vere, Alleluja.

*Tum Episcopus sine Mitra dicit.* Oremus.

DEus, qui per Resurrectionem Filii tui Domini nostri JESU CHRISTI mundum lætificare dignatus es: præsta quæsumus, ut per ejus Genitricem Virginem MARIAM, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

*Deinde reassumantur Litaniæ, et procedatur usque ad Ecclesiam S. Praxedis, in qua ante Altare majus dicatur per Cantores.*

℣ Ora pro nobis Sancta Praxedes, Alleluja.
℞ Ut digni efficiamur promissionibus Christi, Alleluja.

Epi-

*Episcopus stans sine mitra dicit.* Oremus.

EXaudi nos Deus salutaris noster, ut sicut Beatæ Praxedis Virginis tuæ commemorationem recolimus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Deinde reassumantur Litaniæ, et procedatur usque ad Basilicam præfatam Sanctæ Mariæ Majoris, in qua ante Altare SS. Sacramenti, post ultimum* Kyrie eleison, *Episcopus genuflexus dicit* Pater noster etc., *cum reliquis Precibus, et Orationibus, quæ habentur in die Sancti Marci. Quibus omnibus expletis ante Altare B Virginis per Cantores intonatur Antiph.*

Regina Cœli lætare, Alleluja. Quia quem meruisti portare, Alleluja. Resurrexit sicut dixit, Alleluja. Ora pro nobis Deum, Alleluja.

℣. Gaude, et lætare Virgo Maria, Alleluja.

℟. Quia surrexit Dominus vere, Alleluja.

*Oratio.* Deus, qui per Resurrectionem etc. *ut supra.*

*Postea Episcopus intonat Hymn* Te Deum laudamus, *quem Cantores prosequuntur, et proceditur ad Altare majus.*

*Expleto Hymno, dicitur per eosdem Cantores sequens.* Antiph.

Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum. Alleluja.

℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, Alleluja.

℟. Et Sancti tui benedicant tibi, Alleluja.

Oremus.

COncede, quæsumus omnipotens Deus, ut intercessio Beati Mathiæ, ac Sanctorum, quorum Reliquiæ hic sunt, et omnium Electorum tuorum, nos ubique lætificet, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Postea*

*Postea Cantores dicunt.*

℟. Exaudiat nos omnipotens, et misericors Dominus,
℣. Et custodiat nos semper. Amen.

*Deinde Episcopus benedicit, prout habetur in Processione S. Marci.*

# IN SECUNDA DIE ROGATIONUM,

Videlicet Feria Tertia ante Vigiliam Ascensionis.

*Discedet Clerus ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Novæ Congregationis Montis Oliveti, iturus ad Basilicam Patriarchalem S. Joannis in Laterano processionaliter cantando Litanias modo superius expresso, quibus semel absolutis toties a capite repetantur, usquequo perventum sit ad Ecclesiam S. Clementis, in qua ante Altare majus dicatur per Cantores.*

℣. Ora pro nobis Sancte Clemens, Alleluja.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi, Alleluja.

*Episcopus sine mitra dicit.*

Oremus.

DEus, qui nos annua Beati Clementis Martyris tui, atque Pontificis commemoratione lætificas: concede propitius, ut cujus merita veneramur, virtutem quoque Passionis imitemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Deinde reassumantur Litaniæ, et procedatur usque ad Basilicam S. Joannis in Laterano, ubi ante Altare Sanctissimi Sacramenti post ultimum* Kyrie eleison *Litaniarum, Episcopus genuflexus sine mitra, dicit.*

Pater noster etc. ℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

Tum

*Tum Cantores intonant Psalm. 69.*

DEus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant: qui volunt mihi mala,

Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, euge, euge.

Exultent, et lætentur in te omnes, qui quærunt te, et dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, et pauper sum: Deus adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu: Domine ne moreris Gloria Patri, et Filio etc.

*Et eo finito, dicuntur Preces cum Orationibus subsequentibus per Episcopum, modo expresso in Processione S. Marci, et post*

℣. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Cantores intonant Antiph.*

Salvator mundi salva nos omnes hujus aulæ servulos, et Præcursoris inclyti, Discipulique dilecti devota memoria, vota nostra perducat in patriam, Alleluja.

℣. Salvos fac servos tuos. Alleluja.

℟. Deus meus sperantes in te, Alleluja.

*Tum Episcopus dicit.*

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hanc sacratissimam Constantinianam Basilicam in Tuo, et utriusque JOANNIS nomine dedicatam, cunctarum Urbis, et Orbis Ecclesiarum decorasti primatu: concede nobis famulis tuis, ut ambo-

amborum meritis, et precibus a nostris reatibus expiati ad Te Salvatorem nostrum pervenire valeamus. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Deinde Episcopus intonat Hymnum* Te Deum, *ut supra in Basilica S. Petri, et accedendo ad medium Magnæ Navis ante Tribunam, sive Pinnaculum, in quo Capita Apostolorum asservantur.*

*Cantores intonant Antiphonam*

Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati, Alleluja.
℣. Constitues Eos Principes super omnem terram. Alleluja.
℟. Memores erunt nominis tui Domine. Alleluja.

*Episcopus dicit:*

Oremus.

DEus, cujus dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, et Coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius, et concede, ut amborum meritis æternitatis gloriam consequamur. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Postea Cantores dicunt.*

℣. Exaudiat nos omnipotens, et misericors Dominus.
℟. Et custodiat nos semper. Amen.

*Deinde Episcopus benedicit modo superius expresso.*

*His expletis ostenduntur Capita Apostolorum, quibus ostensis, Episcopus accipit mitram, et procedit ad Sacristiam ad deponendas vestes Pontificales, et reassumendas suas proprias.*

# IN TERTIA DIE FERIA IV.,

## Videlicet Vigilia Ascensionis Domini.

*Clerus discedet ab Ecclesia Sancti Andreæ de Valle iturus ad Basilicam Patriarchalem S. Petri, processionaliter cantando Litanias, prout in die S. Marci. Omnia fiant, prout in dicta die in omnibus eadem forma, et peculiaribus superadditis Rubricis servatis.*

## *L A U S  D E O.*